

## PRIMA PARS CAPITIS.

## Testamenti Iacobi proœmium.

- 1 Postea vocauit Iacob filios suos & dixit: Congregamini, & renuntiabo vobis, quod euenturum est vobis in nouissimis diebus.
- 2 Congregamini, & audite filij Iacob: & audite Israel patrem vestrum.

## EXPLANATIO.

I. **P**OSTEA VOCAUIT IACOB. A Particula *vau* hic est ordinis. Præcedens actio Patriarchæ cum Ioseph & filiis fuerat priuata, paucis forte præsentibus gesta. Hæc est solennis, quia extrema. Omnes filios conuocat publice omnibus extremum valedicturus, & Testamentum conditurus. Aliqua pars hæc erat felicitatis, quod moriturus Patriarcha tot filios congregare & habere potuit simul præsentibus. Exordium orationis breue est: sed emphaticum & patheticum. Emphasin habet iterata conuocatio: *Congregamini, congregamini*: quasi dicat, adeste sine mora, instat mihi mortis hora. Habitabant diuisis familiis & locis. Ergo conuocatione opus erat. Vitur triplice attentionis argumento. *Primum* est à rei dignitate: *Renuntiabo vobis, euentura vobis*, hoc est, posteris vestris. Omnes solent attenti conuenire ad audiendum incognita, futura, maxime circa se & posteros suos cum primis à morituris. Sensus est: Moriturus iam disponam de hereditate, & bona ac mala dehinc vobis euentura prænuntiabo. Mala enim præuisa facilius tolerantur: bona lætius accipiuntur. *In nouissimo dierum*, hoc est, temporibus futuris vsque ad Christum per annos 1613. Quis hæc ei reuelare potuit, nisi Deus, qui solus nouit, quæ nondum sunt, & secretum suum reuelat seruis suis Prophetis? Fabulati sunt quidam, cœlum esse instar libri aperti, in quo omnia futura præscripta & prænotata

B contineantur, omnesque humanorum euentuum prognosticationes à peritis siderum inspectoribus, vt ex astris, tanquam ex libris posse præcognosci: de quo commento prolixè disputat Eusebius lib. 6. cap. 9. de præparat. Euangel. & citat librum apocryphum, cui titulus: *Oratio Ioseph*: in quo dicitur, Iacobum legisse in tabulis cœli, quæcunque filiis euentura prædixit. Sed nugæ sunt. Neque enim Iacob moriturus exercuit Astromantiam, sed diuino afflatus spiritu vatem egit.

C Alter attentionis & docilitatis locus est ab eorum persona: *Audite filij Iacob*. Filii enim debent subesse disciplinæ. Denique etiam reddit beneuolos à sua persona: *Audite, inquam, Israel patrem vestrum*, hoc est, eum, qui summis votis desiderat bonum vestrum. En exordium elaboratissimum, & ad penetrandum accommodatissimum. Tanto igitur altius nostras mentes penetret hæc sanctissimi Patriarchæ cygnæ cantio: vt ex maledictionibus, quas aliquibus ob scelera eorum denuntiabit, Deum timere, ex benedictionibus reliquorum Deo fidere, & parentes honorate discamus. Etsi autem Patriarcharum benedictiones tanquam à spiritu prophetico editæ singulariter fuerunt efficaces: communiter tamen Deus piorum parentum vota exaudit: nec sinit preces eorum esse irritas, quibus soboli bene precantur: sicut contra etiam maledictiones raro carent effectu.

Pro-